

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Caspar Mauritius

**Programma Quo Ad Solennia Jesu Christi Servatoris Natalitia Devota & grata  
mente recolenda Cives Academici invitantur**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734832206>

Druck    Freier  Zugang



R U Progr. 1650

- 1) Joach. Stockmann
- 2) Johannis- Stockmann
- 3)
- 4) Caspar Mänttin
- 5) Auger Varenius
- 6) Joach Stockmann



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734832206/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734832206/phys_0002)



*Gaudendum!*

18.

PROGRAMMA  
*Ad SOLENNIA*  
**JESU CHRISTI**  
**SERVATORIS**  
**NATALITIA**  
Devota & grata mente recolenda,  
*Cives Academicis invitantur.*  
Propositum  
**RECTORE**  
**CASPARO MAURITIO,**  
SS. Theol. D. ejusdemq; P.P.  
& Eccles.

ROSTOCHII,  
*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*  
Anno M. DC. L.



Xortus est ille dies, quo recolit Ecclesia memoriam nativitatis Christi, qua nihil unquam homini magis salutare, nihil admiratione dignius Sol adspexit, nihil fervidioribus expetitum votis, nihil majori cordis reverentia & applausu excipiendum.

Cæterorum hominum natales luctu potius quam gaudio prosequendi, quod fecerunt olim Thraces, Ægyptij aliiq;, qui natos sibi liberos dolebant, defunctos gaudebant, eo quod nativitate in carcerem quendam intrudi suos, cæterum morte velut è captivitate dirissima dimitti viderent, solius JESU NOSTRI natales gaudendi materiam amplissimam toti hominum generi offerunt. Extructo templo Salomonis, congregatoq; populo Israelitico ab ingressu Chamatæ atq; ad torrentem Ægypti coram Jehova quatuordecim diebus & tandem dimisso, Regum prior tomus autor est, abiisse unumquemq; ad tentoria sua lætum & hilarem animo de toto illo bono, quo affecerat Jehova populum suum: quidni & nos hodie omnibus lætitias incedamus, extructo in utero Virginali editoq; in lucē templo humanitatis Christi, in quo tota Deitatis plenitudo habitat σωματικῶς, ita ut vere summus DEUS in carne sit manifestatus, & semen Abrahæ in unitatem personæ assumferit? Si Mulier illa apud Lucam, quæ drachmam unam perdiderat accuratè querit, donec eā invenerit, tunc amicas convocat & vicinas, hortaturq; ut secum gaudeant, nos potiori jure ad gaudia mutuis hortaminibus provocare nosmet & accendere par est, qui non drachmam aliquam amiseramus, amissamq; inventimus, sed integritatem corporis & animi, DEI gratiam, immortalitatem, gloriam deniq; nullo temporum spatio circumscriptam aut finiendam. Achabus Israelis Rex olim dissimulato habitu in prælium procedens occidebatur: sed Spirituialis Israelis Rex, cum esset ἐν μορφῇ τοῦ θεοῦ non arbitratus

eratus est rapinam esse æqualem DEO, verum exinanivit se;  
habituq; inventus ut homo obedivit Patri usque ad mortem,  
camq; crucis, id consecutus est, ut morte sua mortem de-  
struxerit, beatamq; immortalitatem acquisiverit omnibus  
credituris, adeoq; in ipsa morte victor extitit, & Israeli spi-  
rituali plenissimam peperit adversum omnes hostes victo-  
riam. Codrum Atheniensium Regem memorant historiæ  
veteres, cum ingenti hostium exercitu (verba sunt Valerii  
Maximi) Attica regio debilitata, ferro igniq; vastaretur dif-  
fidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici Oraculū con-  
fugisse, per q; legatos sciscitatum esse, quoniam modo illud  
tam grave bellum discuti posset. Respondit Oraculum, ita fi-  
nem ei fore, si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem  
non solum totis Athenis sed in castris etiam contrariis per-  
crebuit. Eoq; factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus  
vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insignibus im-  
peri familiarem cultum induit ac pabulantium hostium glo-  
bo se objecit: unumq; ex his falce percussum, in cædem suam  
compulit: cuius interitu ne Athenæ occiderent effectum est.  
Miranda cædes! mira liberatio! sed quæ infinitis passibus ab  
hac nostra distat, sive hostes, sive oraculum, sive habitum,  
sive deniq; cædem Regis nostri & quæ hanc secuta est, hosti-  
um profligationem pacisq; recuperationem spectemus.  
Quid enim comparandum cum dracone infernali, sive ejus  
astum & strategemata, sive robur & immanitatem respicia-  
mus? Hic cum αποδει μλεον bellum inconciliabile cum uni-  
verso hominum cœtu gereret, ab omni æternitate non à Deo  
malo & minorum gentium sed à Deo Opt. Max. Patre di-  
ctum est Filio, finem huic bello imponi minimè posse, nisi  
ipse hominū vicē ipsam adeoq; morte subiret. Cū autē æter-  
ni Patris æternus Filius probè sciret bellum hoc depugnari  
non posse, nisi ipse habitum mutaret, voluit in plenitudine  
temporis homo fieri, & in assumta natura hostem aggredi, &

in medio crūcis prælio occumbere. Sed hæc mors initium  
veræ vitæ humano generi fuit. Triumphantis enim hostibus  
cælum repetiit, misitq; Spiritum Sanctum in corda creden-  
tium, qui eos de victis atq; spoliatis hostibus, deq; pace ni-  
hil habente insidiarum plenè restituta certos redderet &  
planè securos. In summo versabantur discrimine Judæi, quo  
tempore Ahassverus & Haman convivia agitabant & plane  
actum de Judæorum gente tota fuisset, nisi Ahassverus ma-  
trimonio sibi copulasset Virginem Esther, quam tanto com-  
plexus est amore, ut in ejus gratiam sententiam mortis &  
~~multo~~<sup>et</sup> lebēpicas, quam instigante Hamane adversum Judæos tu-  
lerat, revocaret, Hamanem è patibulo suspendi, quod Judæis  
paraverat, Mardochæum vero indui juberet indumentum  
regium, imponiq; diadema capiti ejus, quale solebat imponi  
regibus Monarcharum Persicorum clientibus, quos illi  
megistanes vocabant, quo factum, ut Judæis esset lux & læ-  
titia gaudiumq; & gloria, sicut sacer loquitur Codex. Mar-  
dochæus & Judæi, exitio jam devota capita, imago lunc  
lapsi generis humani, cui omnino pereundum fuisset, nisi  
despretam Esther, hoc est, abjectam & vilem conditionem  
hominis induisset & secum indissolubili unione conjunxis-  
set Rex Regum Filius DEI. Etenim simulatq; in unitatem  
Personæ Deus & Homo convenerunt, revocata ei sententia  
damnatoria, quam suo sibi iumento homo attraxerat, fusi  
profligatiq; hostes, homines contra in summam eveeti di-  
gnationem, adeoq; nova lux exorta est hominibus, nova  
lætitia, novum gaudium, nova gloria. Hic est lapis ille è  
monte, hoc est, sublimi DEITATIS apice excisus sine ma-  
nibus sine virili semine natus, cujus est imperium lapidi si-  
milimum firmum & durabile, contritum omnia mundi re-  
gna. Quæ res omnem humanæ rationis captum omnemq;  
earnis sapientiam superat & excedit. Nebucadnezar oblitus  
sommii quod sibi Deus obtulerat, cum à sapientibus suis  
sommium

Somnium una cum interpretatione sibi proferri juberet: audi-  
dit, Verbum quod Rex petit, tam pretiosum est, ut alius non  
sit qui indicare ipsum possit Regi: Sed dii, quorum habita-  
tiocum carne non est. Nimirum hoc est humanae sapientis in-  
genium divinis obstrepare, negare Dei habitationem cum  
carne esse, qui sit Spiritus purissimus ab omni carnis invo-  
lucro atq; infirmitate plane liber. Sed quod hi viri sapientiae  
humanae nomine celeberrimi capere non poterant, divina  
patefecit Sapientia, cuius interpres Johannes, Verbum, in-  
quit, caro factum est, & habitavit in nobis. Orem omni ad-  
miratione dignissimam! Traductus olim in visione Ezechiel  
est per aquas primum lenissimas & tenuissimas, in quibus  
plantæ duntaxat pedum mergi possent, quæ tamen postea  
paulatim ita invalescebant, ut genua primum pertingerent,  
mox lumbos, deniq; fierent torrens, qui non potuit transiri  
quia altæ erant aquæ, aquæ enatandæ, torrens qui transiri  
non posset. Hæ aquæ quid aliud indicant, quam misteria,  
quorum cognitio prima facie apparet facilis, sed ubi longius  
progressus fueris, grandis cooritur difficultas, ingens pandi-  
tur varagö, cuius fundum humanæ pes rationis nullo modo  
contingere possit. Nimirum scrutaturis sapientiam divi-  
nam, primo loco se offert misterium creationis è nihilo o-  
mnium rerū, quæ tamen sic satis capere se posse mens humana  
putat, adeo q; hic aquæ pertingere videntur plantas: sequi-  
tur lapsus primorum parentum & pæna in ipsis simul &  
universa posteritate diffusa, hic aquæ sunt nonnihil pro-  
fundiores & pertingunt genua & lumbos, tandem ubi ad mi-  
sterium incarnationis de ventum est, fit torrens qui transiri  
nequit. Hic imitandi sunt, qui collimare aliquo volunt, aut  
cernere accuratius: hi oculum unum claudere solent: sic &  
nos facere, &, ubi fidei oculo exquisitissime intueri volu-  
mus, rationis interim claudere oculum oportet. Alter ubi  
sit, quin ut radij visuales transversi sibi incidant, visionisq;

A 3

impe-

impediant actū, fieri nequit. Imo dexter rationis oculus de  
sententia Servatoris nostri eruendus potius nobis est, quām  
ut intercipiendo salvificam Dei visionem, nobis sit offendicu-  
lo. Sileat oportet ratio universa, cum audit, æternum  
Deum in tempore natum, & ut loquitur Augustinus, portan-  
tem omnia verbo virtutis suæ ab infirmitate portari, eumq;  
qui terra mari cœloq; non capitur, intra unius corpusculi  
membra suscipi, de creatura sua creare omnium pro-  
creari. Hic mirabili commercio copulantur sublimitas &  
vilitas, robur & infirmitas, vita & mortalitas, cælum & ter-  
ra. Nempe magnum & excelsum quid operari (verba sunt  
Gregorij Nysseni) in Deo non miraculum, sed naturæ ejus  
consentaneum est; at in humilem & abjectum statum descendere,  
qui omnium supremus est, hoc omnem admirationem  
superat. Miremur tamen bonitatem & φιλανθρωπίαν Jesu no-  
stri, qui cum universam substantiam dilapidassemus, amissa  
imagine Dei, frater noster fieri voluit, ut paupertati nostræ  
succurreret & vindex amissam à nobis hæreditatem ex lege,  
qnæ extat Lex. XXV. 25. redimeret. Sūmi amoris argumen-  
tum servus ille Romanus repræsentavit, qui cum à satelliti-  
bus Dominus quereretur protinus trucidandus, Domini  
assumpta veste, corpus suum satellitum telis objecit, seq; Do-  
mini morti impendit atq; opposuit: in cuius rei memoriam  
servo Dominus statuam erigi sussit. Sed infinitis partibus  
majoris benevolentiae argumentum est, quod Dominus cæli  
& terræ servi formam assumit, ut pro vilissimo servo san-  
guinem profunderet, qui à Divina justitia querebatur, æter-  
na morte plectendus. Quid ergo superest, quam ut & nos sta-  
tuas gratitudinis nostræ indices erigamus, non quidem ex  
marmore vel metallo, sed ex devotissimi pectoris jubilis ære  
perennioribus? Agite ergo, Cives Academiæ omnium or-  
dinum, gaudete in Domino semper, & iterum dico gaudete,  
omnem ejicite ex pectoribus vestris ægritudinem; hic enim

est

est Immanuel. Qui antea Deum formidabatis peccatores, & ad exemplum Adami faciem ejus fugiebatis, gaudete, Deum nobis mirifico hoc partu reconciliatum & in Jesulo nostro factum esse Patrem nostrum benignissimum. Qui angelos horrebat, flammeo quondam gladio, quacunq; aditus in Paradisum patebat, collocatos, gaudete factos esse spiritus ministratores vestrosq; apparitores, annunciantes vobis gaudium magnum, quod erit toti populo, propter natum vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis. Qui antea vobis à ferocissimis, potentissimis & damnosissimis gentibus metuebatis, gaudete advenisse tempus, quo commoratur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubat, yitulusq; & juvenis leo, ac pecus pingue simulerunt & puer parvulus dux inter eos futurus est; Et vacca ursaq; compascientibus, simul recubant catuli earum, & leo sicut bos comedet stramen; & oblectat se lactens super foramen hæmorrhoi, & super specum viperæ depulsus à laetè manum suam injiciet: non afficiunt malo, neq; corrumpunt in toto monte sanctitatis Jehovæ: quippe diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Qui hactenus peccatis conscientiam vñstantibus dediti fuerunt, protinus molem peccatorum vera fide & resipiscientia abjicunt, studeantq; toto vitæ tempore agnoscere dignitatem suam, quam hac Immanuelis nativitate sunt consecuti, & divinæ consortes facti naturæ, nolint degeneri conversatione in pristinam vilitatem redire. Qui in opibns hujus seculi congerendis nimiopere solliciti estis, & mundi delicias atq; abundantiam sectamini, cogitate, Jesulum vestrum editum in hanc lucem, non auro non ostro exceptum, sed in casa rustica vilibus pannis obvolutum; non in abundantia sed in inopia rerum omnium. Qui nocturnis boatibus, conflictibus, digladiationibus ad insaniam usque dediti estis, cogitate, Pacis Principē natū esse, & eo quidem tempore natum, quo Jano Romæ clauso bellisq;

con-

et consopitis pacem totus agebat orbis: cogitate, beatos esse pacificos, quoniam  
filii Dei, qui & pacis Deus, vocabuntur, contra, miserrimos esse pacis atq;  
quietis turbatores, quoniam filii Satanæ, qui turbarum omnium primus au-  
tor exstitit & vocabuntur, &c, nō matutē resipiscant, æternū erunt. Magne-  
tem ea pollere virtutē, ut ferrum attrahat, lippis est & tonsoribus notum; no-  
ster Iesulus nostra quoq; corda, quæ sua natura duriciem ferri vel adæquant  
vel superent, attrahat & emolliat eadem virtute, qua Pastores, qua Magos,  
qua Judæos pariter & Gentes, imò, qua brutum stellæ corpus attraxit. Nolite  
committere, Cives Academicī, ut expers sensus & rationis stella vestrum vin-  
cat obsequium. De Alexandro Magno quod habet Ælianuſ Variæ historiæ  
lib. II. digaum est quod hic quoq; legatur. Alexander Ephesi suam ipsius ima-  
ginem, quam Apelles pinxerat, contemplatus non laudavit pro dignitate pi-  
cturæ. Quoniam autem introductus equus adhinniret equo picto, perinde atq;  
vero, O Rex, inquit Apelles, hic sane equus artis pingendi portior quam tu  
esse videtur. Turpe homini, turpe Regi, turpe Alexandro, ab equo superari.  
Turpe vobis, Alejandro hac in parte assimilari, & ab iis, quæ ratione carent,  
fide & obsequio Iesulo Servatori debito vinci. Quod si Alexandri Magni  
exemplum vobis placet, agite aliud videamus & sequamur. Invadenti  
Persicum regnum magna nivis copia objiciebatur, quæ ipsa cum aliis vide-  
retur retrocedendo declinanda, effecit, ut Alexander ex equo descendens,  
per medianam nivem viam sibi faceret, quod Dux exemplum secuti milites  
brevi objectum impedimentum sunt amoliti. Et nos dulcis nostri Iesuli re-  
cens nati exemplum intueamur, per summam egestatem & humilitatem ad  
caeleste regnum contendantis, & universum mundi apparatum, Φαντασία  
pompam, vanitatem conculeantis. Sed hæc & alia ad excitandam devotio-  
nem vestram facientia abundè suggesterent, quibus hæc cura publicè Ecclesiā  
docendi est commissa. Quos ut audiatis debita Servatori nostro devotione,  
& ab iis, quæ hanc interturbare, obscurare & perimere solent, vitiis, inpri-  
mis luxuria & rixandi turbandiq; libidine, abstineatis, serio vosmoneo &  
ostegitor. P. P. Rostochij XXV. Decemb. Anno M. DC. L. cuius decursum  
juxta & instantis Novi anni ingressum omnibus vobis & singulis  
auspicatissimum & optatissimum toto pe-  
ctore precor.

sc(o)sc





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734832206/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734832206/phys_0011)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734832206/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734832206/phys_0012)



nis & responsonis, quæ est de homine  
alissimam mortem, seu איננו כויהת conciliando per illam mortem DEC  
רְחִמָּת הַרְבֵּה illorum scilicet, et sic επειδεικνυται mentione & applicatione magnifica, propter Dominum, & triplicati אדרני dentia, tum ex ערך מנהרכע quod non piatorii ac propitiatorii sacrificii JES moriam supplicant & intelligentissimo tori Danieli vel solâ suggerere ceremoniā tamen posse 52. demum septim. בר להшиб כויהת המשיח futura 434. annos illa gai, ut ut 400 adhuc superessent anni, id tam habet: Malachia idem intervallum pro eximox, inquit, veniet: Sacharia: jubila Zion, exulta valde: Ecce Rex tuus: Sic ad eandem filiam Zion & domum conspirabant duo potentissimi Reges, Jeschaja timero והשפט הרשمر contine te, & filius esto: irritum erit & inane hostiū lat pro domo Davidicā Immanuel na & Davidicā stirpe: hoc ergo non eradicā vidicā vobis firmamentum & signum concipiet, & pariet filium, & vocabis men ejus Immanuel.

*Superat & facundiam disertissimorum  
uis angustiam majestatica unius Esaiæ pri-  
torius Prophœtæ Thema generale speb  
רָכִילָה: In solo Messia ex domo I  
esusq; spirituali æterno & majestatico  
lo corporali vel Judaico vel Israeltic*



the scale towards document